

C.A.P.E.S.
CONCOURS EXTERNE

Section : LETTRES CLASSIQUES

VERSION LATINE

PLINE LE JEUNE ET SA MERE ONT QUITTE MIDENE ET ESSAIENT D'ECHAPPER A L'ERUPTION DU VESUVE

Tum mater orare hortari iubere, quoquo modo fugerem ; posse enim iuvenem, se et annis et corpore gravem bene morituram, si mihi causa mortis non fuisset. Ego contra salvum me nisi una non futurum ; dein manum eius amplexus addere gradum cogo. Paret aegre incusatque se, quod me moretur. Iam cinis, adhuc tamen rarus. Respicio : densa caligo tergis imminebat, quae nos torrentis modo infusa terrae sequebatur. 'Deflectamus' inquam 'dum videmus, ne in via strati comitantium turba in tenebris obteramur.' Vix consideramus, et nox - non qualis illunis aut nubila, sed qualis in locis clausis lumine extincto. Audires ululatus feminarum, infantum quiritalus, clamores virorum ; alii parentes alii liberos alii coniuges vocibus requirebant, vocibus noscitabant ; hi suum casum, illi suorum miserabantur ; erant qui metu mortis mortem precarentur ; multi ad deos manus tollere, plures nusquam iam deos ullos aeternamque illam et novissimam noctem mundo interpretabantur. Nec defuerunt qui fictis mentitisque terroribus vera pericula augerent. Aderant qui Miseni illud ruisse illud ardere falso sed credentibus nuntiabant. Paulum reluxit, quod non dies nobis, sed adventantis ignis indicium videbatur. Et ignis quidem longius substitit ; tenebrae rursus cinis rursus, multus et gravis. Hunc identidem assurgentes excutiebamus ; operati alioqui atque etiam oblisi pondere essemus. Possem gloriari non gemitum mihi, non vocem parum fortem in tantis periculis excidisse, nisi me cum omnibus, omnia mecum perire misero, magno tamen mortalitatis solacio credidissem. Tandem illa caligo tenuata quasi in fumum nebulamve discessit ; mox dies verus ; sol etiam effulsit, luridus tamen qualis esse cum deficit solet.

PLINE LE JEUNE, *Epistulae*, VI, 20, 12-18